

/ Admodum Illustris, et Reverendissime [meritoque suscipiente, et suscipiente] Domine Frater.

Gratulor praeclarae sorti tuae, nec parum invideo piis laboribus, periculisque, ad quae te Christi charitas, et animarum salus impellit. Quod si, ut non sine causa speras, te Roma redeuntem gloriosi martyrii certamen excipiet, ut olim sanctum Thomam Cantuariensem, tum vero non ego solum, sed omnes pii sacerdotes coronam gloriae tibi invidebimus. Utinam te ad tam bonum proelium proponentem coram complecti possem, quando neque Romam venientem, neque ¹⁰ Roma discedentem videre dignus fui. Sed si tandem aliquando in coelesti patria nos Princeps Pastorum coniungat, facile iacturam hanc momentaneae visitationis, et collocutionis ferre poterimus. Vale igitur, dignissime Praesul, et me consacerdotem tuum apud Deum meritis tuis, et precibus iuva. Capuae die 28 Februarii 1603.

¹⁵ [F. B. 6, f.52. Minute autogr. Fuligatti, Epp. famil. XXXI.]